

Romani assertoris exprimit, nil tamen derogans rei præfenti) sed rejiciendos esse decrevit, &c. Ita Sergius non Legem Apostolicam, sed canonem Concilii alicujus adversantem libertati Christianæ repudiavit. Quid inde sentendum de annotatis Pammelii & Beati Rhenani ad Tertullianum, scribentium, non ita diu esse, quod Christiani vescantur suffocata & morticina carne, id judicare cuivis in proclivi est. Quod prævaricatoribus contra Apostolicam Legem identidem ab Episcopis & Conciliis particularibus pœna legitur imposita, nil facit pro obtainenda moralitate legis. Nam & placitorum Ecclesiasticorum violatio in prævaricatoribus merito punitur. Leonis Novelle in vetando sangvinis esu adeo severæ satis ostendunt, tum temporis & inter Græcos multum desuisse consuetudinem a sangvine abstinendi. Cum autem escarium sangvinem præ cæteris cibis gulæ impenderent homines delicatuli, inde, ut luxuriaz termini majores ponerentur ad priscam consuetudinem sublato prorsus sangvinis esu alligandam legem censuit Imperator. Et forsan ipse natura bhorruit ab esu; certe in explicatione ritus Mosaici & consilii Apostolici ipsum deviasse verba legis clamant. Cæterum, ut JCTI in foro illis Novellis non utuntur, quod est *Cl. Rittersbusi* *Judicium*, ita Ecclesia illis non obligabitur. Nec prorsus apud *Græcos* invaluisse Leonis Novellas tum temporis credidero: si publice sangvine non licuit vesci, saltim privatim alii meliori intellectu rei indifferentis prædicti non protinus ab esu lictio sangvinis abterriti fuere. Ita statuere me jubet *historia ex Nicephoro & Paulo Diacono in Sexto Sæculo* & *Centuriatoribus Magdeburgensibus observata*. *Abstinente Populo Constantinopolitano tempore Quadragesimæ a carnibus, Justinianus Imperator recte intelligens, eam consuetudinem esse adiaphoram prorsus, & quemlibet citra læsionem conscientie posse eam intermittere, propter inopiam aliarum rerum, edicto jussit populum vesci carnibus.* Verum aliqui superstitione magis quam pietate non obtemperarunt & venditores carnium interfecerunt. Quod autem in pari re contigit, potuit & evenire in compari.

D 3

B. D.

De Jure
Just. part.
V. c. IV.